

00
A

6307

~~Q. 8.~~ 17. 46

176

56

**PROCANCELLARIVS
D. IOHANNES FLORENS
RIVINVS**

**PAND. P. P. CAN. NVMBVRG. ET WVR-
ZENS. FACVLT. IVRID. LIPSIENS. ASSESS.
ET h.t. ACADEMIAE RECTOR**

SOLENNIA DOCTORALIA

CANDIDATI NOBILISSIMI

ANTONII BALTHASAR. WALTHERI

VRATISLAV. SILES.

DIE XIII. APRILIS

CELEBRANDA

INDICAT.



PROVINCIALIARIUS

D. JOHANNES FLORENS

RIVINUS

PAGI P. P. CAN. NIMBURG. ET WIR-

TENS FACULT. THEOL. LIBENS A. S. S. S.

ET AN. ACADEMIAE RECTOR

SOLEMNIA DOCTORALIA

CANDIDATI NORVISMII

ANTONII BALTHASAR. WALTHERI

ARTIS AV. SILES.

DIE XIII APRILIS

CELEBRANDA

INDICAT





B. C. D.

TEstium propter probationes
utilitas, adinuenta quidem du-
dum est, ne quid lateat facile
actorum *Nouell. XC. pr.*, eos-
que iurisiurandi religione
priusquam perhibeant testi-
monium, arctari praecepit
eandemque necessitatis esse iussit **IMPERAT. CON-
STANTINVS L. IX. C. de Testib.** At enim vero,
Legum commentatores, et improvidi iudices, do-
ctrinam de testibus, inconstantem et incertam, suo

A 2

vitio

vitio reddiderunt ac corruperunt adeo, vt licet
 iudicantium religioni reliquerint leges, vt ex sen-
 tentia animi sui aestiment quid aut credant, aut pa-
 rum probatum opinentur, *L. 3. §. 2. et L. 13. II. de te-
 stib.* tamen arbitrium iudicantis vnicum totius do-
 ctrinae de testibus fundamentum constituere, res
 plena aleae mihi semper visa fuerit. Animus non est
 inpraesentiarum in causas, ob quas in hoc Colle-
 gio ICtorum testes habiles reputentur, qui in alio
 reiecti fuere et improbati, centumque alia ambi-
 gua fata quae litigantes in foro testes exhibentes
 premunt sollicitè inquirere. Notabo tantum abu-
 sus aliquos, qui circa examen testium, ex arrogata
 licentia eorum, quibus commissà est iurisdictionis
 administratio, contra expressas leges irrepsérunt,
 quosque adeo aboleri forte aut in melius produci,
 e re foret. Scilicet, debent testes in praesentia par-
 tium recipi et iuramento adstringi, nullius enim
 testimonio quantumcunque religiosus existat, nisi
 iuratus deposuerit, in alterius praeiudicium creden-
 dum *c. 51. X. de testib.* qua forma neglecta, totum
 examen ex capite nullitatis corruere, intrepide as-
 fero, admonendus enim semper est aduersarius, vt
 ad audiendos testes veniat, quod si omissum, ne-
 cessè est, vt, quod contra legem actum est, non ha-

habeat firmitatem *c. 11. X. eod.* hinc iudici potestatem arbitrandi, an iniuratum testimonium, etiamsi testis sit vel maxime e secta Menonistarum, quibus apud Belgas absque iuramento creditur, admittere; aut testibus iniuratis, post depositionem demum iuramentum iniungere velit nec ne, prorsus ademptam esse; e contra, eundem in causa civili nullo modo impedire posse, quo minus partes testi remittant iuramentum, censeo, dissentit DN. LEYSERVS *adff. Spec. CCLXXXIIX. Med. 8. et Sp. CCLXXXIX. Med. 11. et 12.* Officium iudicis imprimis versatur in eo, vt admoneat testes de vitando periurio et dicenda veritate posthabito omni odio aut fauore partium. Id restringunt ad articulos et interrogatoria oblata, vnde est vt vulgo dicatur: testi, extra articulum deponenti, nulla fides debetur; sed iura testi imponunt necessitatem perhibendi testimonium de his quae nouit et comperta habet, et quicquid ad causam facit *L. 16. C. de testib.* Inde est, quod saepe testes excusare se soleant, se de hac vel illa circumstantia non esse interrogatos, alias alia ratione deposituros testimonium. Hinc AVTOR ad HERENN. *IV. c. 37.* recte ait: *testis est dicere quae scierit aut audierit; quaesitoris est unumquemque horum in*

officio suo continere. Sed multum ab hoc recessum nostro aevo. Saepissime enim iudex, praepriis multitudine negotiorum distractus, verbis vix tribus, absque omni sale et pondere alloquitur testes, hi saepissime rudes, omnis diuini cultus ac religionis expertes, vt de toto genere Graecorum prodidit CICERO *Orat. pro L. Flacco cap. IV. et V.* qui testimoniorum fidem ac religionem nunquam coluerunt, totiusque huius rei, quae sit vis, quae autoritas, quod pondus, ignorant: quibus iusiurandum iocus est: testimonium, ludus: existimatio iudicis, tenebrae. Testium igitur fides prius diligenter examinanda, et in eorum persona exploranda imprimis conditio cuiusque, an honestae et inculpatae vitae aut an reprehensibilis *L. 3. ff. de testib. id quod PAPINIANVS in L. 13. ff. eod. ad iudicis officium refert, perpendere nempe, an integrae frontis homo dicat testimonium: vid. HENR. BRECKMAN. de L. Rhenniae exitu cap. XII.* Quare adulterii, repetundarum, delictorum publicorum rei aut damnati, item ob crimen famosum, tales quibus imperari potest, et e domo producti, iuxta *L. 6. 8. 14. 15. 20. 21. 24. ff. de testib. et L. 1. C. eod. imo iudaei contra Christianum absque omni casuum determinatione, licet, cum christiano concurrant,*
statim

statim repelli debebant: Eandemque ob causam in
Revis. Ord. Proc. Sax. ad Tit. XXII. serio iniun-
 ctum iudicibus, vt testes plane inhabiles statim ab
 initio a testimonio repellant, neque prorsus citari iu-
 beant. At non videbis facile quenquam in foro ex offi-
 cio omiffum, ne quidquam sportulis decedat: omnes
 conuocantur testes, habilitatem eorum ad iura parti-
 um pertinere contendunt, vnde emanente, vel non
 contradicente aduersario, absque vlla haesitatione, li-
 cet vel maxime de vnus alteriusue testis pessima vi-
 uendiratione, et impedimentis sint conuicti, postu-
 lant tamen, examinant, eorumque dicta conscribunt.
 Porro, quamuis falsa testimonia dicentes, poenam
 periurii, falsi, infamiae, ex legum dispositione me-
 tuendam haberent, tamen testi falso poenam ali-
 quam irrogatam fuisse non recordor. Quare e-
 re foret poenam non arbitriariam, sed rigidiorem,
 e. c. digitorum quibus iuratur amputationem, et
 vt, vacillantes testes interrogentur per tor-
 menta et verberum experimentum, vt dicitur in
Nov. XC. Cap. I. §. 1. iuncta. L. 13. C. de testibus. decer-
 nere, eamque testi sub exordium examinis, eum in
 casum, si falsum dicat testimonium, indicere, ac in
 periuros deinde absque vlla venia statuere. Ita
 enim efficeretur arbitror, vt praestitum iuramen-
 tum,

tum, curatius cogitarent, et maiori cum circum-
 spectione ad proposita responderent testes. Exa-
 men testium merito ab ipso iudice suscipi deberet,
 idque non minimae laudi cedit IMP. HADRIANUS,
 quod de se ipso gloriari potuerit in *L. 3. §. 3. ff. de testibus.* se ipsum testes interrogare solitum
 fuisse. In iudiciis nostris non aequè obseruatur, sed
 testes, quandoque vino adusto aut poculis inebriati,
 simulac iurarunt, statim e iudicio iterum dimittun-
 tur, alio tempore reuocandi: examen deinde non ra-
 ro soli actuario committitur, qui, quandoque ex lon-
 go interuallo, cum interim dudum iuramenti obli-
 fuerunt testes, remoto iudice, quin assessoribus etiam,
 aut, si fortasse horum aliquis eidem iungatur, iu-
 rium certe imperito stipatus, solus, absque discri-
 mine, pertinentes sint articuli nec ne, iuris tantum
 illatiui aut facti, prout ordine sequuntur ad arti-
 culos et interrogatoria, soli suo, ex multitudine
 eorum sperando commodo consulturus, testium di-
 sta exposcit ac calamo plus iusto fortasse festinante,
 excipit. Quod sane iudicibus vix condonandum,
 debent enim iuxta *cap. 11. X. de probat.* illa quae in
 iudiciis inter depositiones testium aguntur ab actua-
 rio ad acta scribi solite, iudex vero qui id negle-
 xerit, animaduersione debita castigari, et si vel vi-
 ginti

ginti saltem Ioachimici a quolibet negligente haec
 exigerentur poenae loco, o quam exactos hac in
 parte habituri essemus Iudices ! Expeditum est, in
 causis criminalibus iuxta ORD. CRIMIN. *ar-*
tic. XLVI. et LXXII. sub vicio nullitatis consti-
 tutum iudicium, *eine besetzte Gerichts-Banck*, re-
 quiri, quamobrem non idem, in iudiciis ciuilibus,
 praecipue in arduis causis, a quibus saepius fama,
 fortuna, et maxima pars patrimonii ciuium pen-
 det, necessarium iudicabimus; nec inconsulto in
Emend. et Rev. O. P. S. ad Tit. II. inter casus solius
 actuarii expeditioni relictos, examen testium
 omissum fuit : Ideo enim iudicis in ipso actu
 examinis praesentia necessaria est, partim, quia
 maior reuerentia et autoritas in iudice, saltem ex
 opinione vulgi, quam in eo qui saltem a pennis est;
 partim, quod iudex interrogans, ex vultu aliisque
 in teste se exerentibus circumstantiis colligere pot-
 est, vtrum testis vnum eundemque sermonem me-
 ditatum afferat, an ad ea, quae interrogat, ex tem-
 pore verosimilia sibi respondeat, et an ex re ipsa,
 seu interrogatione natum sit testimonium *L. 5. §. 1.*
π. de testibus. Videbunt ita iudices, quo vultu, qua
 confidentia dicant : tum intelligent qua religione
 dicant ? num laborent quemadmodum probent
 quae dicant, an tantum quemadmodum se expli-

cent

B

cent

cent dicendo: quanto cum pudore, quo tremore et pallore dicant, ut ait CICERO *pro L. Flacco cap. IV.* qui et *cap. V.* Romanorum hac in re, circa minimas etiam res sollicitudinem, depraedicat: *Vos autem, inquit, in priuatis, minimarum rerum iudiciis, testem diligenter expenditis, etiam, si formam hominis, si nomen, si tribum nostis, mores tamen exquirendos putatis. Qui tum dicit ex nostris hominibus testimonium, ut se ipse sustentat! ut omnia verba moderatur! ut timet, ne quid cupide, ne quid iracunde, ne quid plus minusue quam sit necesse dicat!* Accedere potest iudice praesente perennis Diuini Numinis, eiusdemque praesentiae commemoratio *Nou. XC. cap. 9. in f.* quae testes abstinere potest a mendaciis et falsiloquiis, ut inimici etiam, aut laedere partium iura volentes, teneant se, neque afferant in iudicium quidquam ad laedendum, nisi voluntatem. Non vero sola iudicis praesentia sum contentus, sed et a prouido iudice id exigo, ut praeter linguae usum quem ad interrogationem commodat, etiam inquirat antea in articulos, an concludentes, an iuris et illatiui sint, impertinentes reiciat, id quod *Em. Ord. Proc. Sax. Tit. XX.* eidem serio iniungit, ut plurimum tamen negligitur, iudici enim plerumque, demum in ipso termini die, dum testes iam producendi sunt, articuli primo obtutui

tutui offeruntur, qui, causae rei que expers, primo intuitu de iis iudicare nequit, et ea propter suo officio defuneturum se credit, dummodo testes examinet; qua tamen in parte forte cautiores efficerentur, si articulos illatiuos, iuris, aliosque impertinentes, sicut in formandis inquisitionalibus obtinet, iuxta *Ordinat. taxat.* in numerum eorum, pro quibus quid expenditur a partibus, referre prohiberentur actuarii. Illud etiam commodi ex praesentia iudicis pro tribunali sedentis, redundaret in partes, vt, si forte testis pecuniam se accepisse, seque pretio conductum ad dicendum testimonium fateretur, vel eundem mentiri, ipso testimonii tempore suspicio emergeret, et testium voces falsitate vel fraude non carere perspiceretur *L. 1. §. 25. ff. de testib. L. 13. 14. C. eod.* aut si sine ratione deponerent, ad saniora, admonendo eos vt fidem religioni iudiciariae debitam, omni gratiae praeponant *L. 5. C. de testib.* eosdem reducere iudex; multumque lucis depositionibus afferre motumque animi testium ex argumentis, quae rei aptiora esse compererit, iuxta *c. 27. X. de testib.* confirmare: illicitas et improbas voces testiumque facilitatem, per quam multa veritati contraria perpetrantur, refecare possit *L. 18. C. de testib.* Quam multi enim sunt, qui hominibus potentibus, gratiosis, disertis, cum aliquid eos velle arbitrentur, vltro

se offerre solent, operam nauare, testimonium pol-
 liceri? Hoc ex genere si qui se in iudicium forte
 proiecerint, excludunt eorum cupiditatem iudices
 sapientia sua, vt eodem tempore et eorum ipsorum
 ac litigantium saluti, et religioni suae, et contra pe-
 riculosissimas hominum potentias conditioni omnium
 ciuium prouidisse videantur, iustissime iterum mo-
 nente CICERONE *pro M. Coelio Cap. IX.* Ad
 fidem iudici faciendam, veritatemque detegen-
 dam, duo tresue sufficerent testes, nam in ore duo-
 rum vel trium testium stat omne verbum, *Matth.*
XIX. L. 12. ff. de testib. C. 23. X. eod. Saepissime
 autem decem, viginti, pluresue, in possessorio im-
 primis summariissimo et in processu Inhibitiuo, Cu-
 riis prouincialibus reseruato, examinari solent, et
 acta rotulis testium mirum in modum cumulari,
 vt saepius ab vtraque parte, vltra centum testes
 iuratos exhibiti deprehendantur, quasi *L. Seruilia*
repetundarum, quae CXX. hominibus testimonium
 dicere permittit, hodie ad causas ciuiles prolata.
 Circa horum itaque numerum, iudicis quoque ex-
 posebat officium, vt ad iustum sufficientemque
 ab eo redigerentur, neque plures dicendo testimonio
 adhiberentur quam necessarii ipsi viderentur, ne ef-
 frenata potestate ad vexandos homines superflua
 multitudo testium protraheretur *L. 1. §. 2. π. de testib.*
 nomen-

nomenque diuinum in profanum duceretur. Quaeso etiam, qua conscientia deinde pars victa ad restitutionem expensarum in tantos rotulos erogatarum adigenda, cum pauciorum testimonia suffecissent ad hoc vt repelleretur. Videntur vero iudices faciles nimis in eo se praebere, ne litigantibus media probationis adimere velle videantur, aut, quae genuina est ratio, crumenae suae, in exigendis sportulis, quas vbique fere in fraudem ordinationis taxatoriae augere satagunt, consulere velle, praesidium fortasse in pontificis permisso *c. 37. X. de testib.* ad quadragenarium numerum vsque extenso, quaerentes, quibus potius ex nimia multitudine testium, suspicio oriri deberet, producentem admodum iustitiae causae suae diffidere, atque ex plurium, hinc inde forte contradicentium demum suffragiis, aliquid eliciendum sperare, quique eidem ideo, aut eius procuratori iuramentum malitiae, in *Emend. Ord. Proc. Sax. ad Tit. XXIII.* eo casu: *Wenn viele Zeugen angegeben werden*, inculcatum, deferre saltem prius deberent. Quo loco non possum non succensere regulae FARINACEI in *Tr. de testib. Qu. LXV. num. 107.* quod nempe testibus hinc inde contrariis, plures numero vincant pauciores, magisque standum sit depositionibus plurium testium, quam pauciorum. Veritas enim
204
facti

facti non ex numero personarum metienda; respicienda potius sincera testimoniorum fides, et ea testimonia, quibus potior lux veritatis afficit *L. 21. π. de testib.* Ego certe, honestioribus duobus fidem citius haberem quam centum aliis vilioris fortis hominibus; *L. 9. C. de testib.* quanquam iudex obueniente casu, ad eruendam veritatem, rem conscientiae partium, mediante suppletorio aut purgatorio tutissime committat conf. DN. LEYSER. *Spec. CCLXXXVII. Med. 4.* Eiusdem farinae est traditum MASCARDI *de Probation. concl. MCCCLIX. n. 13. 14.* binos testes suspectos, fidem vnus omni exceptione maioris aequare vid. DN. LEYSER. *Spec. CCLXXXIII. Med. 35.* An interrogatio testium, vti productio eorum et iurisiurandi praestatio, praesentibus partibus suscipi debeat? dubius haereo. Non nego, varias subesse causas quae negatiuam suadere videntur, inter quas inprimis subornatio, reuerentia, metus, si fortasse negotium sit cum personis in summa dignitate constitutis. Sed eadem impedimenta, animos testium absentium, iurisiurandi religionem spernentium, occupare aequae facile possent. E contra certum est, affirmantium doctrinam non alienam esse a Iure Diuino, quod elucet ex *Matth. XXVI. v. 62, Marc. XIV. v. 57. sq.* Apud Romanos

nos etiam, testes in praesentia litigantium, imo ab ipsis litigantibus interrogari solitos fuisse innuunt *L. 19. C. de testib. L. 18. C. de fide instrum. Nou. XC. Cap. ult.* idque factum in iudicio siue secreto, qui sensus est constitutionis Zenonianae *L. 14. C. de testib.* ad quam, male tamen intellectam, **DYON. GODOFREDVS** *in not. ad eand. lit. b.* et reliqui dissentientes, vulgo, sed perperam confugiunt; nam secretarium, locum significare, in quem iudices solent conuenire, ex *L. 16. C. de accusat.* apparet, vnde dissensus **GODOFREDI** eo minus probabilitatis habet, cum *in not. ad d. l. 16. lit. u.* eandem notationem vocis subiecerit: vid. **CORN. van ECK** *ad ff. tit. de Test. §. 24.* in eademque interrogatione praesentium testium ab oratoribus suscepta, praecipua eorum solertia elucebat **Dn. HEINECCIVS** *Ant. Rom. L. IV. T. XVII. §. 10.* nec pauca huius rei vestigia apud **CICERONEM** deprehendimus, velut inter alia, **VERR. II. cap. 30.** adeo, vt et prudentissimae lectissimaeque foeminae, in maximum virorum confluxum, insolitae inuitaeque ad testimonium dicendum prodire debuerint **VERR. I. cap. 37.** Profecto, testes ingenuam magis, in partium conspectu constituti, quam ab iisdem remoti ederent confessionem, et in ruborem darentur, in faciem quasi mendacia prolaturi. Nec est, cur alterca-

tercations mutuas, in iudicio mouendas, metuas; his enim facile obuiam iri possēt, si pars, venia non prius a iudice impetrata strepitum mouens, iactura testis tum interrogati coerceretur. Sane nulla diuersitatis ratio liquet, ob quam in solenni probatione, testium attestations reticeri, et ad tempus oclusae feruari debeant, cum in processu summano iam, rotuli testium, ab eo, qui demonstrationem suscipit, exhiberi, et parti aduersae communicari soleant; et probatione ex solis instrumentis instructa, copiae eorum, sub praecudio partibus transmitti cum articulis debeant, neque tamen inter eam probationem, quae ex testium dictis, ac eam, quae ex documentis hauritur, discrimen, quoad veritatem rei intercedat. Imo plusquam vice simplici animaduerti, quod causarum patroni obiectum litis, et thema probandum in formandis articulis non attigerint, controuersiamque ne quidem intellexerint, ideoque longe aliud, quam de quo vnquam inter partes dubitatio aut lis fuit, probare sustinuerint, quod incommodum facile partibus praesentibus euitari, aut actore non probante, prolixitas contrariae probationes a reo plane omitti, sicque litis euentus maturari possēt. Habent ergo omnes in forum prodituri, quare Summum Numen implorent, ut iudicem sincerum ac iudiciosum nanciscantur. IOH. BAPT.

BAPT. CARD. de LVCA THEATR. VERIT. et
 IVSTIT. T. III. Tr. I. de iudiciis disc. XXXII. n. 78.
 An, et quatenus valida per testes iniuratos sit pro-
 batio? pererudite disquisiuit in dissertatione sua In-
 augurali Clariss. Dn. Candidatus.

ANTONIVS BALTHASAR WALTHERVS,

cuius dum indicenda fuit solennis in Doctorem pro-
 motio, pauca de eius laudabiliter acta hactenus vita,
 strenueque emenso studiorum cursu, praefanda su-
 persunt. Natus est Vratislaviae, magno illo com-
 merciorum emporio. A. S. R. MDCCV. Mense
 Augusto, patre Dn. D. Johanne Antonio Walthe-
 ro, Ampliss. Senatus Vratislaviensis Secretario me-
 ritissimo, Matre, Johanna Christiana, e gente
 Hollmannia. Priuata institutione vsus; publicam
 in celeberrimo Gymnasio Elisabethano con-
 iunxit. Ibi, sub auspiciis Viri famigeratissi-
 mi, Dn. Gottlob Kranzii, Scholarum Vratislau.
 Inspect., Gymnas. Elisabeth. Rectoris et Prof., vicinae-
 que Bibliothecae Praef. in historia tam sacra quam
 profana, vt et in re nummaria antiqua, praelectio-
 nes publicas aequae ac priuatas frequentauit: in
 Poesi et soluta oratione, ad normam veterum au-
 torum formandis, Dn. Godofredi Pohlii: in Mathe-
 maticis, Rethoricis et Moralibus, beate defuncti

C

Dau-

Davidis Hofmanni institutione vsus. Haussit etiam purioris religionis et orthodoxae Theologiae fundamenta ex ore Dn. Georgii Teubneri, Prof. Theol. Scholar. et Ecclesiar. Vratislauenf. Inspectoris, vt et ad Aedem Elisabethanam Pastoris, necnon beate defunctorum M. Casparis Hornigii, M. Iohannis Sigismundi Broestedtii et M. Godofr. Hanckii. Abitum e Gymnasio in Academijs A. MDCCXXV. meditatus, a Parente suo optimo, prima Iuris elementa tradita accepit, et habita publica valedictione: de felicitate et infelicitate Ictorum, Academiam Francofurthanam adiit, vbi per aliquod tempus, studiis, vti vocantur humanioribus incubuit adhuc, Dn. Dithmarum Historiam, et Dn. D. Pollackium Matheseos docentes, audiuit. Inprimis subsellia Dn. Hoffmanni Consiliiarii Intimi Reg. Maiest. Boruff. Fautoris et Amici nostri integerrimi, Dn. Heineccii et Dn. D. Trieri, assidue frequentauit: Ibidemque non solum Schediasma literarium, siue Centuriam celebrium Waltherorum edidit, sed et Anno MDCCXXIIX. Moderatore laudato D. Hoffmanno, Dissertationem: de Principe ex iustis causis aggratiante, proprio Marte conscriptam, defendit. Inde nostram Academiam salutauit, in qua per anni spatium commoratus, seque doctrinae Magnifici Ordinarii nostri et Consiliiarii Regii, Dn. Griebneri, vt et Dn. Rechenbergii, Collegae nostrae amantis-

simi

fimi, in Iurisprudencia Illustri publica et priuata, multa debere, fatetur: Dn. Mascouium, Fautorem et Amicum nostrum summopere colendum, Introductionem in Historiam S. R. I. praelegendem, Dn. D. Bauerum vero, principia processus Iudiciarii tradentem, adiit; nec discendi cupiditatem in studio Matheseos, Graecae linguae et Physices experimentalis deposuit, potius eadem opera Dn. Hausii, et Dn. Menzii Professorum Publicorum in hac Academia, continuauit. Dum vero studiis laudabiliter ad finem peractis, discessum in Belgium parat, ab Ordine nostro Gradum petiit, qui eius iustissimis desideriis lubenter locum reliquit, ad consueta examina eundem admisit, in quibus talem se praebuit, qualem unanimi consensu dignum iudicauit Collegium, vt eundem absque vlla mora, promeritis honoribus ornaret. Nihil igitur superest, quam vt proximo Mercurii die, hora a meridie II. in Lectione cursoria, interpretationem L. 3. C. de Testam. instituat, ac sequenti die Iouis, solennem Dissertationem: *De valida per testes iniuratos probatione*, sine Praeside defendat, quo facto, ex singulari illa a *Reuerendissimo et Serenissimo Principe ac Domino, DOMINO MAVRITIO WILHELMO Duce Saxoniae, Iuliae, Cliuia, Montium,*

An-

Angriae et Westphaliae, Episcopatus Martisburgensis postulato Administratore, Landgrauio Thuringiae, Marchione Misniae ac vtriusque Lusatiae, Comite Principali dignitate Hennebergico, Comite Marcae, Rauensbergae et Barby, Dynasta in Raueinstein etc. Domino ac Nutricio nostro, clementissime mihi, vt Pro - Cancellario concessa facultate, per Dn. CAROLVM OTTONEM RECHENBERGIVM, Collegam Honoratissimum, amantissimum, cui Promotoris vices demandatae, Licentiati et Doctoris vtriusque Iuris Titulum et Priuilegia omnia, quae Promotis in hac Academia, solo voto et sessione in Collegio exceptis, competunt, tribuet et assignabit. Cui actui, vt mecum COMITES ILLVSTRISSIMI, ET REIPUBLICAE VTRIVSQVE PROCERES intersint, maiorem splendorem actui concilient, officiose rogo: Generosos atque Nobilissimos Cives meos, virtutum ac dignitatum aemulos, vt frequentes adsint, amanter inuitatos volo. P.P.

Fest. Paschat. Anno Recup. Salut.

MDCCLXXX.

L I P S I A E,

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.

00 A 6307


ULB Halle 3
002 830 582



vd18

Retros







56

PROCANCELLARIVS
D. IOHANNES FLORENS
RIVINVS

PAND. P. P. CAN. NVMBVVG. ET WVR-
ZENS. FACVLT. IVRID. LIPSIENS. ASSESS.
ET h.t. ACADEMIAE RECTOR

SOLENNIA DOCTORALIA
CANDIDATI NOBILISSIMI
ANTONII BALTHASAR. WALTHERI
VRATISLAV. SILES.
DIE XIII. APRILIS
CELEBRANDA
INDICAT.

